

crum adhibitamque operam refarciendam vicissim esse apertum est. Hoc vero ex moderatis debitorum usuris fieri commode poterit. Imo nisi fallor summa reliquorum pauperum indigentia, cui sublevandæ hæc destinata pecunia est, creditoris vicem subit, postulatque, ut ii, qui ex ea aliquod luerum sentiant, partem ejusdem cæteris similibus non invident. Neque desunt, qui calculum sententiæ nostræ adjiciunt. Joh. Cloppenburgium saltim adducam; qui superstitione de perfectione & sanctitate meritoria, de indulgentiis, de sede Pontificia ejusque excommunicationis fulmine valere jussa non gravamur, inquit, de cætero huic declarationi subscribere. Agnoscimus, quod Pontificii nolunt veram & formalem usuram, etiam ab initio contractam, in mutuationis negotio. Non tamen censemus tolerabilem tantum, sed etiam justam & licitam. I. Quia non fit ad mordendum, sed efficaciter ad benefaciendum non solum solventi pro ea vice, sed etiam eidem, cum alias indigerit, vel aliis pariter egentibus. II. Quia nec pecunia illa seu fors, & quæ mutuò datur, est privati alicujus danistæ, nec amplius eorum qui eam legarunt vel donarunt: Sed mutuarii ad eam jus acquisiverunt, quorum est propterea tanquam jus habentium ad montem illum, eam suis expensis conservare. Quapropter inspecto effectu & rerum exitu, qui potissimum hic attendi debet, negotiatio usuraria talis hic non est, per quam quid aufertur à pauperibus: Sed est negotiatio conservatoria beneficentiæ erga pauperes præsentis & futuros, quibus non potest consuli alio subsidio. Quapropter neq; existimandum est, ubi tale quid ad horum montium æmulationem publica cura & privatis beneficiis in Rebuspublicis constituitur; ministros à Republica & communitate delectos, quibus assignantur pro ratione laboris sui necessaria stipendia, vel contra conscientiam suam peccare vel contra æquitatem & honestatem; neque proinde aliquam infamiam incurrere; quippe qui publico inservientes publica autoritate accipiunt, quod eis assignatur ab æquis æstimatoribus, quando statutum non transgrediuntur. Cæterum varie atque anxie inter ipsos etiam Pontificios Theologos disputatum hæc de re fuit. Tametsi enim dicti pietatis montes à sede, quam vocant Apostolica essent approbati, acerrime tamen præ aliis Cardinalis Cajetanus anno 1498. Prolixa disputatione sese opposuit. Eique proximus est Sylvester Prierias, qui circa eadem tempora in Lombardia floruit. Tandem in concilio Latepranensi quoque

ses.